


NOVUM
PROPRIUM MISSARUM
ARCHIDIOECESIS
GORITIENSIS

Utini
Typis « Arti Grafiche Friulane »
1967



SACRA CONGREGATIO RITUUM GORITIEN.

Prot. N. G. 3/966

Instante Exc.mo ac Rev.mo Domino ANDREA PANGRAZIO,
Goritiensi Archiepiscopo, SACRA RITUUM CONGREGATIO,
utendo facultatibus, a Sanctissimo Domino Nostro PAULO Divina
Providentia PAPA VI, sibi tributis, præsens Proprium MISSARUM,
iuxta instructionem eiusdem Sacræ Rituum Congregationis diei 14
Februarii 1961 redactum, revisit et emendavit illudque, prouti in
adnexo exemplari prostat, probavit, et a Goritiensis Archidiœcesis
Clero adhiberi mandavit: servatis Rubricis.

Onus quoque additur duplex eiusdem præfati Proprii authen-
ticum exemplar, postquam typis editum fuerit, ad Ipsam Sacram Ri-
tuum Congregationem transmittendi.


Quibusvis contrariis non obstantibus.

Die 8 Iulii 1966.

ARCADIUS M. Card. LARRAONA, S.R.C. Praef.

† F. ANTONELLI, Archiep., a Secretis

(L.S.)



N O V U M

PROPRIUM MISSARUM
ARCHIDIŒCESIS GORITIENSIS

Die 11 ianuarii

S. PAULINI

Patriarchae Aquil. Confessoris

III classis

Missa Statuit, de Communi
Conf. Pontif. 1 loco.

Oratio

C

Da, quæsumus, omnipotens
Deus: ut beati Paulini
Confessoris tui atque Pon-
tificis veneranda solemnitas,
et devotionem nobis augeat
et salutem. Per Dominum.

Et fit commemoratio S. Hy-
gini Pp. et M.:

Oratio

Gregem tuum, Pastor æ-
terne, placatus inten-
de: et per beatum Hygi-
num Martyrem tuum atque
Summum Pontificem perpe-
tua protectione custodi,
quem totius Ecclesiæ præ-
stitisti esse pastorem. Per
Dominum.

Super oblata

C

Sancti tui, quæsumus, Do-
mine, nos ubique læti-
facent: ut, dum eorum merita
recolimus, patrocinia sentia-
mus. Per Dominum.

Pro S. Hygino:

Super oblata

Oblatis muneribus, quæ-
sumus, Domine, Eccle-
siam tuam benignus illumi-
na: ut et gregis tui profi-
ciat ubique successus, et
grati fiant nomini tuo, te
gubernante, pastores. Per
Dominum.

Post Communionem

C

Præsta, quæsumus, omnipo-
tent Deus: ut, de percep-
tis muneribus gratias exhi-
bentes, intercedente beato
Paulino Confessore tuo atque
Pontifice, beneficia potiora su-
mamus. Per Dominum.

Pro S. Hygino :

Post Communionem

Refectione sancta enutritam gubernat, quæsumus, Domine, tuam placatus Ecclesiam: ut, potenti moderatione directa, et incrementa libertatis accipiat et in religionis integritate persistat. Per Dominum.

Die 16 martii

SS. HILARII ET TATIANI

Martyrum

Titularium Ecclesiæ Metropolitanæ
et Patronorum principalium
Urbis Goritiensis
In Civitate Archiepiscopali
I classis

Extra Civitate Archiepiscopali
fit tantum commemoratio

Missa Intret, de Communi plurimorum Martyrum 1 loco. Et dicitur Credo.

Oratio

C

Beatorum Martyrum Hilarii et Tatiani nos, quæsumus, Domine, festa tueantur: et

eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

Et fit commem. feriæ.

Super oblata

C

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, quas in Sanctorum tuorum commemoratione deferimus: ut, qui nostræ iustitiae fiduciam non habemus, eorum, qui tibi plauerunt, meritis adiuvemur. Per Dominum.

Et fit commem. feriæ.

Post Communionem

C

Quæsumus, Domine, salutibus repleti mysteriis: ut, quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adiuvemur. Per Dominum.

Et fit commem. feriæ.

Die 30 aprilis

S. CATHARINÆ
SENENSIS

Virginis

Patronae principalis Italiae

I classis

Omnia ut in Missali hoc ipso die.
Et dicitur Credo.

Die 30 maii

**SS. CANTII, CANTIANI
ET CANTIANILLÆ**

Martyrum

III classis

Extra tempus pasch.

Antiphona ad Introitum.

Eccli. 44, 15 et 14.

Sapientiam sanctorum narrant populi, et laudes eorum nuntiet ecclesia: nomina autem eorum vivent in sæculum sæculi.

Psal. 32, 1. Exsultate, iusti in Domino: rectos decet collaudatio.

V. Gloria Patri.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipo-tens Deus: ut populus tuus ad plenæ devotionis affectum beatorum Martyrum Cantii et Sociorum eius nataliciis præparetur: et, eorum patrocinio promerente, beatæ capiat securitatis augmentum. Per Dominum.

Et fit commemoratio S. Felicis I Papæ et Mart. :

Oratio

Gregem tuum, Pastor æterne, placatus intende: et per beatum Felicem Martyrem tuum atque Summum Pontificem perpetua protectione custodi; quem totius Ecclesiae præstitisti esse pastorem. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

Sap. 5, 16-20.

Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, et accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem.

Graduale

Ps. 123, 7-8.

Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium.

V. Laqueus contritus est,

et nos liberati sumus: adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum et terram.

Alleluia, alleluia.

V. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crimina: Christum secuta est inclita tenens regna cælestia. Alleluia.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 6, 17-23.

In illo tempore: Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius, et multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, et Ierusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis, qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Et ipse, elevatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei. Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis. Beati

eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eicerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exsultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Antiphona ad Offertorium.

Psal. 149, 5-6.

Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in fauribus eorum, alleluia.

Super oblata

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ et pro tuorum tibi grata sint honore iustorum, et nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum.

Pro S. Felice:

Super oblata

Oblatis muneribus, quæsumus, Domine, Ecclesiam tuam benignus illumina: ut, et gregis tui proficiat ubique successus, et grati fiant nomini tuo, te gubernante, pastores. Per Dominum.

Antiphona ad Communionem.

Luc. 12, 4.

Dico autem vobis amicis meis:
Ne terreamini ab his, qui vos
perseguuntur.

Post Communionem

Præsta nobis, quæsumus,
Domine: intercedentibus
sanctis Martyribus tuis Can-
tio et Sociis eius; ut, quod ore
contingimus, pura mente ca-
piamus. Per Dominum.

Pro S. Felice:

Post Communionem

Refectione sancta enutri-
tam gubernata, quæsumus,
Domine, tuam placatu-
mus Ecclesiam: ut potenti
moderatione directa, et in-
crementa libertatis accipiat;
et in religionis integritate
persistat. Per Dominum.

Tempore paschali

Missa Sancti tui, de Communi-
Mm. 2 loco cum orationibus ut su-
pra.

Die 6 iunii

B. BERTRANDI

Patr. Aquil. Confessoris

III classis

Missa Sacerdotes tui, de Com-
muni Conf. Pont., præter oratio-
nes sequentes:

Oratio

Deus, qui beatum Bertran-
dum pro Ecclesiæ suæ
iuribus ad mortem usque cer-
tantem invicta pastorali forti-
tudine roborasti: præsta fide-
libus tuis; ut ad pietatis et re-
ligionis constantiam eiusdem
informentur exemplis. Per Do-
minum.

Et fit commemoratio S. Nor-
berti Ep. et Conf.:

Oratio

Deus, qui beatum Norber-
tum Confessorem tuum
atque Pontificem verbi tui
præconem eximum effecisti,
et per eum Ecclesiam tuam
nova prole fecundasti: præ-
sta, quæsumus; ut, eiusdem
suffragantibus meritis, quod
ore simul et opere docuit, te
adiuvante, exercere valea-
mus. Per Dominum.

Super oblata

Sacra dona, quæ tibi, Domine, reverenter offerimus in commemoratione beati Bertrandi, Ecclesiæ tuæ libertatem tueantur, et pacem et sanctificationis nostræ incrementa promoveant. Per Dominum.

Pro S. Norberto :

Super oblata

Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique lætificent: ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Post Communionem

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut in honorem beati Bertrandi celebrata mysteria eius virtutum imitatores, et tua protectione nos dignos efficiant. Per Dominum.

Pro S. Norberto :

Post Communionem

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente

beato Norberto Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum.

Die 15 iunii

S. PROTI

Martyris

III classis

Missa In virtute, de Commune unius Martyris 3 loco, cum Evang. ut infra.

Oratio

C

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui beati Proti Martyris tui natalicia colimus, intercessione eius in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

Et fit commemoratio Ss. Viti et Soc. Mm.

Oratio

Da Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine: sanctis Martyribus tuis Vito, Modesto atque Crescentia intercedentibus, superbe non sapere, sed tibi placita humilitate proficere ut prava

despiciens, quæcumque recta sunt, libera exerceat caritate. Per Dominum.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Mattæum.

Matth. 16, 24-27

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit anima suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera eius.

Super oblata C

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, et cælestibus nos munda mysteriis, et clementer exaudi. Per Dominum.

Et fit commemoratio Ss. Viti et Soc. Mm.

Super oblata

Sicut gloriam divinæ potentiae munera pro sanctis oblata testantur; sic nobis effectum, Domine, tuæ salvationis impendant. Per Dominum.

Post Communionem C

Da, quæsumus Domine Deus noster: ut, sicut tuorum commemoratione sanctorum, temporali gratulamur officio; ita perpetuo lætemur aspectu. Per Dominum.

Et fit commemoratio Ss. Viti et Soc. Mm.

Post Communionem

Repleti, Domine, benedictione solemni: quæsumus; ut per intercessionem sanctorum Martyrum tuorum Viti, Modesti et Crescentiæ, medicina sacramenti et corporibus nostris prosit, et mentibus. Per Dominum.

Die 22 iunii

S. NICETÆ

Episcopi et Confessoris

III classis

Missa Sacerdotes tui, de Communi Confessoris Pontificis, 2 loco.

Oratio

C

Exaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, quas in beati Nicetæ Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: et, qui tibi digne meruit famulari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Et fit commemoratio S. Paulini Episc. et Conf. :

Oratio

Deus, qui omnia pro te in hoc sæculo relinquenteribus, centuplum in futuro et vitam æternam promisisti: concede propitius; ut, sancti Pontificis Paulini vestigiis inhærentes, valeamus terrena despicere, et sola cælestia desiderare: Qui vivis et regnas.

Super oblata

C

Sancti Nicetæ Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Domine, annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut, per hæc piæ plationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum.

Pro S. Paulino :

Super oblata

Da nobis, Domine, perfectæ caritatis sacrificium, exemplo sancti Pontificis Paulini, cum altaris oblatione coniungere: et beneficitiæ studio sempiternam misericordiam promereri. Per Dominum.

Post Communionem

C

Deus, fidelium remunerator animarum: præsta; ut beati Nicetæ Confessoris tui atque Pontificis, cuius venerandam celebramus festivitatem, precibus indulgentiam consequamur. Per Dominum.

Pro S. Paulino :

Post Communionem

Tribue nobis per haec sancta, Domine, illum pietatis et humilitatis affectum, quem ex hoc divino fonte hausit sanctus Pontifex tuus Paulinus: et, ipsius intercessione, in omnes, qui te deprecantur, gratiæ tuæ

divitias benignus effunde.
Per Dominum.

Die 11 iulii

S. P I I I

Papæ et Mart.

III classis

Missa Si diligis me, de Communi Summorum Pontificum.

Die 12 iulii

SS. HERMAGORÆ ET FORTUNATI

Martyrum

Patronorum principalium archidiœcesis

I classis

Antiphona ad Introitum.

Psal. 78, 11, 12 et 10.

Intret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est.

Psal. ibid. 1. Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum

sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiā.

¶. Gloria Patri.

Oratio

Deus, qui nos hodierna die beatorum Martyrum tuorum Hermagoræ et Fortunati multiplici facis celebritate gaudere: tribue, quæsumus,

eorum nos semper piis defensionibus muniri, et orationibus adiuvari. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

Sap. 3, 1-8.

Iustorum animæ in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: et æstimata est afflictio exitus illorum: et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

Graduale.

Exodi 15, 11.

Gloriosus Deus in sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia.

V. Ibid. 6. Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicos.

Alleluia, alleluia.

V. Eccli. 44, 14. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et nomina eorum vivent in generationem et generationem. Alleluia.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 21, 9-19.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surgeat gens contra gentem, et regnum adversus regnum. Et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiae, et fames, terroresque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus suas, et consequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cor-

dibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis: et eritis odio omnibus propter nomen meum: et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Credo.

In Missa votiva post Septuag. in fine sequentis antiphonæ Alleluia omittur.

Antiphona ad Offertorium.

Psal. 67, 36.

Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus, alleluia.

Super oblata

Munera humilitatis nostræ, Domine, quæ pro sanc-torum Martyrum tuorum Hermagoræ et Fortunati glori-osa passione, et solemnitate offerimus: quæsumus clemen-

tiam tuam, respicere dignare: et ipsorum intercessione, tam ad profectum vitæ, quam animæ, salutaria nobis consueta miseratione provenire con-de. Per Dominum.

Antiphona ad Communionem.

Sap. 3, 4, 5 et 6.

Et si coram hominibus tor-menta passi sunt, Deus ten-tavit eos: tamquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausta accepit eos.

Post Communionem

Sumentes, Domine, cælestis dona mysterii, quæsumus; ut sanctorum Martyrum tuo-rum Hermagoræ et Fortunati adiuvemur meritis, quorum solemnitatem celebramus. Per Dominum.

Die 13 iulii

IN DEDICATIONE
BASILICÆ S. MARIÆ
AQUILEIENSIS

III classis

Missa Terribilis, de Communi Dedicacionis ecclesiæ; et non dici-tur Credo.

Die 13 augusti
**SS. FELICIS
 ET FORTUNATI**
Martyrum

III classis

Antiphona ad Introitum.
 Psal. 36, 39.

Salus autem iustorum a Domino : et protector eorum est in tempore tribulationis.

Psal. ibid. 1. Noli æmulari in malignantibus : neque zelaveris facientes iniquitatem.

V. Gloria Patri.

Oratio

Adesto, quæsumus, Domine, fidelibus tuis, nec ullis mentis et corporis sinas subiacere periculis, quos beatum Martyrum tuorum Felicis et Fortunati munit gloriosa confessio. Per Dominum.

Et fit commemoratio Ss. Hippolyti et Cassiani Mm. :

Oratio

Da, quæsumus, omnipotens Deus : ut beato-

rum Martyrum tuorum Hippolyti et Cassiani veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Hebr. 10, 32-38.

Fratres: Rememoramini pri-
 stinos dies, in quibus illu-
 minati, magnum certamen su-
 stinuitis passionum : et in
 altero quidem opprobriis, et
 tribulationibus spectaculum
 facti : in altero autem socii
 taliter conversantium effecti.
 Nam et vinctis compassi estis,
 et rapinam bonorum vestro-
 rum cum gaudio suscepistis,
 cognoscentes vos habere me-
 liorem, et manentem substan-
 tiam. Nolite itaque amittere
 confidentiam vestram, quae
 magnam habet remuneratio-
 nem. Patientia enim vobis
 necessaria est: ut voluntatem
 Dei facientes, reportetis pro-
 missionem. Adhuc enim mod-
 icum aliquantulum, qui ven-
 turus est, veniet, et non tar-
 dabit. Iustus autem meus ex
 fide vivit.

Graduale. Psal. 33, 18-19.

Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

V. Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit.

Alleluia, alleluia.

V. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crimina: Christum secuta est inclita tenens regna cælestia. Alleluia.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. 10, 16-20.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videlbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones,

et super omnem virtutem ini-mici: et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.

In Missa votiva post Septuag. in fine sequentis antiphonæ Alleluia omittitur.

Antiphona ad Offertorium.

Sap. 3, 1, 2 et 3.

Iustorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace, alleluia.

Super oblata

H ostias, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, sanctorum Martyrum tuorum Felicis et Fortunati prosequatur oratio, per quam nobis expiari tribuas, et defendi. Per Dominum.

Pro Ss. Hippolyto et Cassiano:

Super oblata

R espice, Domine, munera populi tui, Sanctorum

festivitate votiva: et tuæ
testificatio veritatis nobis
proficiat ad salutem. Per
Dominum.

Antiphona ad Communionem.
Matth. 10, 27.

Quod dico vobis in tenebris,
dicite in lumine, dicit Dominus:
et quod in aure auditis,
prædictate super tecta.

Post Communionem

Recreati sacris muneribus,
quæsumus, Domine, ut
non indigne sumentibus non
vertantur ad pœnam, sed, in-
tercedentibus sanctis Marty-
ribus tuis Felice et Fortunato,
fidelibus prosint ad veniam.
Per Dominum.

Pro Ss. Hippolyto et Cassia-
no:

Post Communionem

Sacramentorum tuorum,
Domine, communio
sumpta nos salvet, et in
tuæ veritatis luce confirmet.
Per Dominum.

Die 4 octobris

S. FRANCISCI ASSIS.

Confessoris

Patroni principalis Italiae

I classis

Omnia ut in Missali hoc ipso
die. Et dicitur Credo.

Die 12 octobris

**IN DEDICATIONE
ECCLESIAE PROPRIÆ**

In ecclesiis consecratis Archidi-
œcesis, excepta metropolitana et
basilica Aquileiensi.

I classis

Missa Terribilis est, de Com-
muni Dedicationis ecclesiæ. Et di-
citur Credo.

Die 5 novemboris

**SS. MARTYRUM
AQUILEIENSIVM**

III classis

Missa Salus autem, de Commu-
ni plurimorum Martyrum, et di-
cuntur orationes sequentes:

Oratio C

Deus, qui nos annua sanctorum Martyrum Aquileiensium solemnitate lætificas: concede propitius; ut, quorum gaudemus meritis, accendamus exemplis. Per Dominum.

Super oblata C

Oblatis, quæsumus, Domine placare muneribus: et, intercedentibus sanctis Martyribus Aquileiensibus, a cunctis nos defende periculis. Per Dominum.

Post Communionem C

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine: et, intercedentibus sanctis Martyribus Aquileiensibus, cælestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum.

Die 25 novembris

S. CHRYSOGONI

*Martyris**III classis*Missa In virtute, de Communi
unius Martyris, 3 loco.

Oratio

Adesto, Domine, supplicationibus nostris: ut, qui ex iniuitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Chrysogoni Martyris tui intercesione liberemur. Per Dominum.

Et fit commemoratio S. Catharinæ Virg. et Mart.

Oratio

Deus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, et in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharinae Virginis et Martyris tuæ mirabiliter collocasti: præsta, quæsumus: ut, eius meritis et intercessione, ad monte, qui Christus est, pervenire valeamus: Qui tecum vivit.

Super oblata C

Oblatis, quæsumus, Domine, placare muneribus: et, intercedente beato Chrysogono Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per Dominum.

Pro S. Catharina :

Super oblata C

Suscipe, Domine, munera,
quæ in beatæ Catharinæ
Virginis et Martyris tuæ so-
lemnitate deferimus: cuius
nos confidimus patrocinio li-
berari. Per Dominum.

Post Communionem

Tui, Domine, perceptione sa-
cramenti, et a nostris
mundemur occultis, et ab ho-
stium liberemur insidiis. Per
Dominum.

Pro S. Catharina :

Post Communionem C

Auxilientur nobis, Domi-
ne, sumpta mysteria:
et, intercedente beata Ca-
tharina Virgine et Martyre
tua, sempiterna faciant pro-
tectione gaudere, Per Do-
minum.

Die 27 novembris

S. VALERIANI

Ep. et Conf.

III classis

Missa Sacerdotes tui, de Com-
muni Conf. Pontif., 2 loco.

Oratio

C

Exaudi, quæsumus, Domi-
ne, preces nostras, quas
in beati Valeriani Confessoris
tui atque Pontificis solemniti-
tate deferimus: et, qui tibi
digne meruit famulari, eius
intercedentibus meritis, ab
omnibus nos absolve peccatis.
Per Dominum.

Super oblata C

Sancti Valeriani Confessoris
tui atque Pontificis, quæ-
sumus, Domine, annua solem-
nitas pietati tuæ nos reddat
acceptos: ut, per hæc piæ pla-
cationis officia, et illum beata
retributio comitetur, et nobis
gratiæ tua dona conciliet. Per
Dominum.

Post Communionem C

Deus, fidelium remunerator
anamarum: præsta; ut
beati Valeriani Confessoris
tui atque Pontificis, cuius ve-
nerandam celebramus festivi-
tatem, precibus indulgentiam
consequamur. Per Dominum.

Die 28 novembris

**IN DEDICATIONE
METROPOLITANÆ
ECCLESIÆ
GORITIENSIS**

I classis

Missa Terribilis est, de Communi Dedicationis ecclesiæ. Et dicitur Credo.

Die 2 decembris

S. CHROMATII

Ep. et Conf.

III classis

Antiphona ad Introitum.

Psal. 131, 9-10.

Sacerdotes tui, Domine, induant iustitiam, et sancti tui exultent: propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

Psal. ibid. 1. Memento, Domine, David: et omnis mansuetudinis eius.

V. Gloria Patri.

Oratio

Exaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, quas in

beati Chromatii Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: et, qui tibi digne meruit famulari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Et, in Adventu, fit commemoratio feriæ.

Deinde commemoratio S. Bibianæ Virg. et Mart. :

Oratio

Deus, omnium largitor bonorum, qui in famula tua Bibiana cum virginitatis flore martyrii palmam coniunxisti: mentes nostras eius intercessione tibi caritate coniunge; ut, amotis periculis, præmia consequamur æterna. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Hebr. 7, 23-27.

Fratres: Plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: Iesus autem eo quod maneat in æternum, sempi-

ternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo, Iesus Christus Dominus noster.

Graduale,

Ps. 131, 16-17

Sacerdotes eius induam salutari: et sancti eius exsultatione exsultabunt.

¶. Illuc producam cornu David: paravi lucernam Christo meo.

Alleluia, alleluia.

¶. Psal. 109, 4 Iuravit Dominus, et non pœnitabit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchise-dech. Alleluia.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Mattæum.

Matth. 5, 13-19.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculceretur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificant Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Antiphona ad Offertorium.
Psal. 88, 25.

Veritas mea, et misericordia
mea cum ipso: et in nomine
meo exaltabitur cornu eius.

Super oblata

Sancti Chromatii Confesso-
ris tui atque Pontificis,
quæsumus, Domine, annua
solemnitas pietati tuæ nos
reddat acceptos: ut, per hæc
piæ placationis officia, et illum
beata retributio comitetur, et
nobis gratiæ tuæ dona conci-
liet. Per Dominum.

Et, in Adventu, fit commemo-
ratio feriæ.

Pro S. Bibiana :

Super oblata

Hostias tibi, Domine, bea-
tæ Bibianæ Virginis et
Martyris tuæ dicatas meri-
tis, benignus assume: et ad
perpetuum nobis tribue pro-
venire subsidium. Per Do-
minum.

Antiphona ad Communionem.
Matth. 24, 46-47.

Beatus servus, quem, cum
venerit dominus, invenerit vi-
gilantem: amen dico vobis,
super omnia bona sua consti-
tuet eum.

Post Communionem

Deus, fidelium remunerator
animarum: præsta; ut
beati Chromatii Confessoris
tui atque Pontificis, cuius ve-
nerandam celebramus festivi-
tatem, precibus indulgentiam
consequamur. Per Dominum.

Et, in Adventu, fit commemo-
ratio feriæ.

Pro S. Bibiana :

Post Communionem

Divini munera largitate
satiati, quæsumus, Do-
mine Deus noster: ut, inter-
cedente beata Bibiana Vir-
gine et Martyre tua, in eius
semper participatione viva-
mus. Per Dominum.

INDEX ALPHABETICUS FESTORUM

Bertrandi Patriarchæ, Conf. (6 iunii)	pag. 9
Cantii et Sociorum Mm. (30 maii)	» 7
Catharinæ Senens. Virg., Patr. princ. Italiae (30 aprilis)	» 6
Chrysogoni Mart. (25 novembris)	» 19
Chromatii Ep. et Conf. (2 decembris)	» 21
Dedicatio basilicæ Aquileiensis (13 iulii)	» 15
Dedicatio ecclesiæ metropolitanæ (28 novembris)	» 21
Dedicatio ecclesiæ propriæ (12 octobris)	» 18
Felicitis et Fortunati Mm. (13 augusti)	» 16
Francisci Ass. Conf., Patr. princ. Italiae (4 octobris)	» 18
Hermagoræ et Fortunati Mm. Patr. princ. Arch. Gorit. (12 iulii)	» 13
Hilarii et Tatiani Mm. (16 martii)	» 6
Martyrum Aquileiensium (5 novembris)	» 18
Nicetæ Ep. et Conf. (22 iunii)	» 12
Paulini Patriarchæ, Conf. (11 ianuarii)	» 5
Pii I Papæ et Mart. (11 iulii)	» 13
Proti Mart. (15 iunii)	» 10
Valeriani Ep. et Conf. (27 novembris)	» 20

Imprimatur.

Concordat enim cum originali adprobato.

Goritiae, 29 septembris 1966.

† ANDREAS PANGRAZIO, *Archiepiscopus Goritiensis*

RUDULPHUS KLINEC, *Cancellarius*

